

DECANUS FACULTATIS MEDICÆ,
JOH. ERNESTUS SCHAPER,

Med. D. & Prof. Duc. Publ. Primar. & Ordin. Facult. Suæ
Collegii Professorum Ducalium, & Academiæ Senior,
Serenissimi Ducis Regentis Meclenburgici
Archiater & Consiliarius Intimus,

PROPEMPTICO INAUGURALI,
*Quid tenendum sit de Curâ Cardialgiæ ex-
ternâ, quæ frictionibus perficitur?*

Germanicè

Was von Abstreichen des Herkspänes zu halten sey?

CONSCRIPTO OCCASIONE,

DISSERTATIONIS INAUGURALIS,
NOBILISSIMI ET CLARISSIMI, MEDICINÆ CANDIDATI,

**DN. JOACHIMI THEODORI
HORNHART,**

Wenâ Hanoveriani, & Ducalis Meclenburgici Graboviensis Archiatri,

DE

CARDIALGIA,

AD EANDEM

**Pro Summis in Medicinâ Honoribus
ET PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS,**

IN AUDITORIO MAJORI, DIE I. OCTOBR. A. MDCCXX.

Bono cum DEO Habendam

Magnificum DN. RECTOREM, Illustris Regiminis,
Academiæ, & Civitatis Proceres, Universos & singulos Academiæ Cives,
nec non omnes Literatos, & Literarum Fautores

quo & Amplissimæ Facultatis nomine officiose & peramanter invitata.

.....tochii, Typis Joh. Wepplingii, SERENISS. PRINC. & UNIV. Typogr.

Morb. p. 755

800

hol. spec.

49, 40



Vanquam hodiè non

amplius dubitetur, Cardialgiam præsentis Dissertationis Inauguralis argumentum non cordis sed Ventriculi affectum esse, & sui nominis originem debere Græcis, qui os ventriculi superioris cardiam nuncupabant,

cujus testes præter plures alios Hippocrates, Nicander & Thucydides sunt, imo Hippocrati Cor, ob solidam ejus substantiam nec ullo ab humoribus morbo obnoxium, nec patibile dici velit, inter orificium ventriculi superioris tamen & cor intercedere sympathiam, constans est sententia. Quæ quidem hodiè ex loci affinitate non æque deducenda, sed in communiōe nervorum & cordis & orificii superioris à nervorum pari vago & intercostali radicata deprehenditur, ut hinc omninò ex orificii ventriculi superioris affectu, dum gravioribus stipatus symptomatibus, ut totum corpus invadere valet, & ipsum cor in idem passionis consortium duci queat. Factum hinc est, ut suum quod semel obtinuit nomen, hicce morbus retineat, & Germani vocent das Hertzgesperre/ oder Hertzgespann.

Non est, ut in præsentiarum de ejus vel indolè, vel causis vel curâ diversis quædam addam, id enim eruditè & abundè docet adjuncta Inauguralis Dissertatio; meas meditationes tantum in hujus morbi curam externam, quæ frictionibus perficitur, quando ea tumore ventriculi & quandoque hypochondriorum se manifestat, dirigo & inquirō: Quid de eâ tenendum sit, aut ut Germani loquuntur:

Was

Was von Abstreichen des Hertzespannes zu
halten sey ?

Frequentissima hæcce cura est, & perplures Europæ provincias ac regiones adeò notissima, ut quod fiat, non egeat probatione, ad minimum si dixero eam nullibi frequentiore, quàm nostris in oris, non errabo, sed ipsissimam profiteor veritatem; adeò ut & utriusque sexus & cujuscunque ætatis & conditionis homines, quoties tumidum præ se ferunt cordis scrobiculum, tumidamque epigastricam cum hypochondriis regionem huic curæ committantur, & ipsa etiam cura ab iisdem cujuscunque sexus & ferè conditionis perficiatur.

Inter omnes autem, qui curam hanc profitentur, potissimum & laboriosissimas, & frequentissimas deprehendimus Vetulas, easque tales, ut si non ex privilegio eam agant, in possessione vel quasi tamen se tueantur, & antiqvâ hic locorum consuetudine tantam sibi præbent auctoritatem, ut quoties infans tenellus vel adultus, puer vel puella, Juvenis vel senex utriusque sexus dicto partium tumore corripuntur, pro ea abigenda ad vetulas appellent, tanto sæpius zelo, ut sibi firmissimè persvadeant, nullo alio modo, quam per fricationes durch das Abstreichen des Hertzespannes liberari & pristinæ sanitati posse restitui. Interim cum consvetus mos hic esse soleat, ut quamprimum in Medicina vel novi quid invenitur, vel ex antiquitate aliquid resurgit; hisce inventis varia vel fabulosa sæpè nisi superstitiosa dicenda sunt, addantur, ita nec hic deficit prava hæc hominis indoles, & datur apud quosdam ægros exceptio ab ordinaria aliàs ad vetulas appellatione, & è sexu sequiori quædam, ut fama fert, potius ad Viros adultos

adultos provocant, & idem hinc pro abigendo ventriculi subinde simul hypochondriorum tumore frictionis petunt auxilium à rusticis adultis atque robustis; Als die da seine große dicke und breite Daumen an ihren Händen haben / mit welchen solches Abstreichen zu verrichten ist.

Quando igitur æger. cardialgicus supinus jacet, fiunt pollicibus utriusque manus oleo quodam vel cocto vel expresso, frequentius tamen pinguedine vel anserinâ vel caponis tanquam omnibus reliquis virtute præcellenti madidis à scrobiculo cordis secundum costarum vicinarum ductum, denem sursum Ribben von beyden seiten lang / & sic per hypochondria dorsum versus frictiones aliquoties repetitæ, quarum numerosa repetitio ad minimum bis in die, si non ter, aliquando pro differentia tumoris dicti ejusque duritiæ variâ tardius perficitur. In medium jam relinquo an fricationes certo numero à fricantibus finiantur, annon? Nam quam ob indicatam tumoris varietatem & vires ægri diversas certo numero includi æque nequeant; Cum autem vetulæ superstitionibus perquam facillimè indulgeant, iisque sæpius abundant, prorsus negari non poterit, quod, ut quandoque tales sub illis frictionibus verba obmurmurant, aut labia tacitè movent, ita ex eodem superstitionis indultu & instituendas frictiones certis numeris includere valeant. Quicquid sit, frictionibus partium indicatarum per pollices oleo vel pinguedine inunctos cardialgiæ cura solennis est, & absolutis quoties frictionibus, toties linthea calida imponuntur partibus fricatis.

Unde autem vetulæ hujus cardialgiam curandi

randi per fricationes methodi obtinuerint notitiam, si quæri velit? non equidem diffiteri possumus, ipsis eam esse ex vetulis ad vetulas translaticiam, da eine Person der andern solches saget und zeigt. Interim tamen vetularum primum inventum non est, antiquitatem sapiunt fricationes, & teste Plinio Hist. natur. Lib. XXVI. Cap. 3. p. 68. Asclepiades ætate Magni Pompeji Medicus & rhetorices Magister frictionum autor est & inventor; hic enim sua arte non satis quæstuosus, sed ad alia sagacis ingenii & meditata quotidiè oratione blandiens inter quinque res communium auxiliorum, abstinentiam puta cibi, aliquando vini, ambulationem, gestationes, & Fricationes corporis profitebatur, & porro cum multa in antiquorum curâ minus anxia & rudia inveniret, & unusquisque semet ipsam sibi præstare posse intelligeret, faventibus cunctis ut essent vera, quæ facillima, Universum prope humanum genus in se circumagebat non alio modo, quàm si cœlo emissus quasi esset.

Hoc curationis per fricationes invento postea & usi sunt alii Medici, ut eas in variis morbis proficuas commendatas apud eos reperiamus, siquidem prolixam earum doctrinam in Galeni libris eorumque commentatoribus legimus, & est scopus, ut torpidos stagnantesque in corpore humores in motum fricationibus deducant, & ad evacuationem præparent atque promoveant, hinc iis vis evacuandi tribuitur. Vid. Galenus 1. 12. de Meth. c. 3. & Trincavellius in libr. Galen. 1. de differ. febr. p. 121. Imo ex profundo attrahendi & digerendi efficacia atque vis vid. Trincavell. in Galen. Lib. Pr. de arte cur. ad Glaucon. p. 139. b. & 145. a. Quoties igitur cruda materia medica.

dicamento purgante educi nequit, interim tamen æger
ejus indigeat, talia autem præsidia evacuantia susti-
nere non possit, aliud evacuationis genus ipsis non
convenire quam fricationem docet Galenus it. Trin-
cavell. *cit. locis.* Quemadmodum huic & per frica-
tiones frequentes sanguinem occultè evacuari ob-
servat. *cit. Trincavell. in Galeni Libr. II. de rat. cur.*
Partic. hunc corp. aff. p. 35. d. e. Quodsi à multa pitu-
ta & frigida in ore ventriculi superiori acervata li-
pothyria eveniat, frictiones oris ventriculi superioris
maximè convenientes indicantur, per quas tanquam
per remedium revulsorium irritando & exagitando
os ventriculi pituita collecta dissolvi, deorsum depelli,
spiritus autem qui ad intimas partes, ut loquuntur, re-
fugere, revocari, & excitari testatur Trincavell. *in Gal.*
libr. Pr. de arte Cur ad Glauco. p. 128. & 129. Corne-
lius Celsus *Lib. 4. de Medicina cap. 5. p. 206.* ut frica-
tiones in stomachi inflatione commendat, ita insuper
earum utilitatem variam in morbis variis variè eve-
hit. Et in cardialgiâ fricationes perquam salutares
deprehendimus apud Francisc. Valesium *in Lib. Hippocra-
tis de morbis Popularibus Comment. Libr. sect. 1. p.*
103. Nec ab hisce frictionibus Hippocrates alie-
nus est, id tantum monet, ut ad differentiam ea-
rum attendatur, dum aliæ siccæ & asperæ, aliæ verò hu-
midæ & leniores sunt. Unde asperas magis laborem
exhibere, ex oleo autem & aquâ molles optimasque
certis in morbis pronunciat. *vid. Hippocr. de dieta Lib.*
2. p. 236. §. 42. & p. 237. §. 43. quarum etiam ita me-
minit Francisc. Valesius *comment. in Libr. Hippocr. 7.*
Epidemicorum p. 810.

Ex his igitur facilè erit determinatu, quod cura
Cardialgiæ externa per friciones à tumido cordis scro-
biculo

biculo per regionem epigastricam ejusque latera pariter tumida dorsum versus institutas & pro re nata vel sæpius, vel tardius repetitas, nec omni careat fundamine nec omni successu; nam tales detentis in ventriculo & ejus vicinia humoribus inducunt motum, qui cum omnis mutationis causa sit, & hic collectos & hæctenus quiete moram neccentes humores & situm mutare & moveri facit, quo sic oneratae iis partes pedetentim, possunt liberari. Prudentia tamen singularis hic requiritur, quâ fricationes & ita instituantur & repetantur quo nullo compressu graves sint, & præterea modicè celeres fiant; quales apud Veteres Medicos hinc præparatoriæ & vocabantur, & erant, & perficiebantur, sic hujus scopi ratio simul determinabat, ut frictiones mox per linteum, mox per oleum instituerentur *vid.* inter alios Gorræus *def. med.* p. 331. quamquam fricationes cum oleo pro emolliendi scopo iis quæ per linteum fiunt hoc in casu utilitate longe præcedant. Quando igitur Pollicibus oleo quodam vel pinguedine madidis fricationes moderatæ fiunt, & inter molle & durum medius servatur modus, quemadmodum Hippocrates, si frictiones vehementes & siccae sunt durari corpus, si autem cum oleo fiant, molliri corpus, nec vehementer excalefieri notat, *vid.* Hipp. *Lib. 2, de diet.* p. 236. §. 12. & 237. §. 43. salva res est.

Hæc, ut necesse est, si penitus considerentur, quis quæso omni cum fundamine non dubitabit, an vetulæ ad eam per frictiones perficiendam curam hac necessaria gaudeant prudentiâ? siquidem cum partium sub regione epigastrii & hypochondriorum, texturam ac situm, ne plura dicam, ignorent, temerario potius ausu & tantâ compressione hisce defunguntur fricationibus, suosque pollices per nomina-

tam

tam sæpius regionem & ipsius terminos ducunt, ut non aliter videatur, ac si malum ex profundo exprimere vellent. Et hæc est ratio, quod proh! tot infelices atque tragicos quotidie experiamur effectus, & inter plures innumeros, qui mihi constant, adhuc nuper in puero quatuor annorum ab imprudente ano fricante in utroque epigastrii latere una è spuris costa initiò plus solito incurvata, tandem tracta, tristi jam se manifestet figura, ut taceam puerum adhuc lentè ægrotare. Atque sic tam impudentes imprudentesque fricationes à quacunque Persona five ano, five alia perficiantur, plus damni inferunt, quàm si adhuc hodiè daretur ventriculum tumidum per impositam laminam ferream curandi methodus, cujus ex Antonio Benivenio, *de abditio morborum & sanit. Causis* cap. 40. meminit Sennertus *Prax. Lib. 3. p. 45.* adolescenti cuidam sedecim annorum, cervicem ventriculi sine ullo doloris sensu, ita à flatibus elevatum fuisse, ut: magnitudinem nimirum pomi, cydonii æquipararet, ita ut tumor ille & ossa in altum elevaverit, nec ad pristinum statum reversa figuram illam impressam tanquam naturalem servaverint, quod malum ille terreâ laminâ, quæ ex circulo quoque surgebat ferreo, stomachum comprimente sanavit. In præsentiarum plura non addo cum monear brevitatis, præter id unicum, quod melius sit à tali per fricationes instituendas curas abstinere, & aliis convenientibus remediis inde liberari, quàm cum detrimento sanitatis non facile restituendo impudentibus & imprudentibus vel Vetularum vel ut fama fert, rusticorum pollicibus impetuoèe comprimentibus se submittere.

Hæc præsentis Inauguralis Dissertationis occasione

ne

ne Præfaminis loco cum præmiserim, jam ad consue-
tum Academiae nostræ morem me confero, Nobilissi-
mi atque clarissimi Dn. Candidati Vitam & studia
recensurus. Natus hic est Wenæ, quæ in Electoratu
Hanoverano Præfectura est die 20. Aprilis Anno 1686
Patre Nobilissimo DN. HENRICO JOACHIMO HORN-
HART, Præfecto ibidem meritissimo, & Matre omni
sexus sui virtutum genere instructissima CATHARINA
ELISABETHA TEICHMEYER, οὐν ἐν ἀγίοις. Cum autem
antequam filius lucem videret, Patre jam orbatus
& mater non multo post Patrem placida morte se-
qveretur, & sic omnibus destitutus Parentibus esset.
Curæ & institutioni Viri Nobilissimi & Experientissi-
mi Medicinæ Licentiati ac Poliatri Mindensis Cele-
berrimi DN. HERMANNI THEODORI TEICHMEYERI
commisus est; quem Parentis loco omni filiali amo-
re nunquam non veneratur, siquidem vices Paren-
tis non satis deprædicandas suscepit, nihil intermit-
tens, quod ad ejus pietatem, sollicitam educationem
& informationem requirebatur. Hinc non solum pri-
vatæ Præceptorum informationi tradebatur, sed post-
quam literarum rudimenta ceperat, Scholæ trivialis
Mindensis Præceptoribus committebatur, quorum
omnium t. t. clarissimorum præcipue tamen Conre-
ctoris hujus scholæ meritissimi HENRICI BURMEI-
STERI fidelissimam informationem deprædicat.
Humanioribus sic in hac schola satis imbutus, ad il-
lustre Gymnasium, quod Hildesæ floret, mitteba-
tur, in quo fidelissima institutione Virorum t. t. ce-
leberrimorum, Magistri JOHANNIS CHRISTOPHORI
LOSII Directoris & BOSEI Rectoris ultra triennium
tanto successu usus est, ut eorum dexteritatem & di-
ligentiam grata adhuc mente recolat.

X X

& aca-

& Academica studia animum applicans Anno 1704. die
9. Octobr. Academiam Salanam salutavit, nomenque
albo ejus Almæ sub Rectoratu Magnifico Mulleriano
dedit, & cum à Philosophicis studiorum suorum ca-
peret initia, Philosophiæ celeberrimos Professores se-
dulò audivit, potissimum autem in Physicis theore-
ticis & experimentalibus ut & mathematicis Celeber-
rimum & Physices & Matheos Professore, Virum
Nobilissimum & Amplissimum *DN. GEORGIUM ALBER-
TUM HAMBERGERUM* audivit. Cum autem Studio Me-
dico se devovisset, Collegia medica sedulo frequentavit,
& ab ore Viri Prænobilissimi Amplissimi & Excellen-
tissimi *DN. GEORGII WOLFGANGI WEDELI*, Consilia-
rii Saxoniae Ducum gravissimi, ac Medicorum Jenenti-
um Antistitis longe celeberrimi pependit, ejusq; col-
legiis tam publicis quam privatis magna cum seduli-
tate interfuit. Pariter Virum Nobilissimum, Amplissi-
mum & Excellentissimum *DN. JOH. ADRIANUM
SLEVOGTIUM*, Anatom. Chirurgiæ & Botanices Pro-
fessorem Publicum celeberrimum in anatomicis &
botanicis fidelissimum veneratur Præceptorem, quem
multa sexus utriusque corpora humana secantem vi-
dit, quemque in botanicis excursionibus indefesse
comitatus est, & cum quoque Nobilissimus & Expe-
rientissimus *DN. ERNESTUS HENRICUS WEDELIUS*,
celeberrimi jam nominati Wedelii Senioris filius, Me-
dicinæ Doctor & Professor celeberrimus, Collegia Me-
dica aperiret, ut in ejus ædibus commorabatur, ita
simul collegium Physiologicum Institutionale exami-
natorium, disputatorium, Pathologicum, formulare,
& Chemicum sub ejus manuactione absolvit. Per
quadriennium & quod excurrit sic tanto studiorum
& Me.

& Medicæ artis thesauro eximio locupletatus tandem
Academiæ huic valedicens ad alias eas celeberrimas
& civitates se contulit, & in iis Medicorum Celeberrimorum colloquiis & consuetudine usus est, usque dum in itinere & Graboviæ suos visitaret cognatos, imprimis cum per multos jam annos dilectissimam sororem suam Dn. Mitthofio ejus aulæ Ducalis Secretario meritissimo nuptam non vidisset, dum autem ibi cum intentione ad Patriam redeundi non nihil commorabatur, eveniebat, ut à Potioribus civitatis Graboviensis, vicinis Præfectis, aliisque honoratioribus sub certo annuo salario Medicus perpetuus desideraretur, unde Graboviæ suam Praxin exercere incipiebat, & in eâ tam felici successu progrediebatur, ut ad exteros quoque ejus fama erumperet, & hinc non tantum variarum celeberrimarum Civitatum & Provinciarum, sed & Aulæ cujusdam Ducalis tam ingratæ Medicus vocaretur: Ast cum & Serenissima Serenissimi Ducis Meclenburgici Friderici jam beatissimi Vidua suam ipsi pariter testaretur gratiam, eumque sibi hætenus Aulæ Medicum jam Archiatrum clementissimè constitueret, & lubentius ibi adhuc commoratur, cum Serenissimarum Ducalium Personarum gratia, quam omni submissione ac devotione agnoscat, suffultus degat, sic ibi locorum felicissime exercet Praxin, & ægros plurimos suis consiliis & restituit & solatur. Et ut ut sic per decem annos suâ amplissimâ praxi doctoralem suam eruditionem & orbi erudito & omnibus satis probaverit, & hinc ab omnibus jam dudum Doctor sit habitus, cujus gradum ob varia in praxi occurrentia impedimenta differre coactus est, satius tamen duxit, si tandem solenni & consueto

sveto

fueto majorum more Doctoris gradum assumeret. Eum
in finem in hac Alma nostram salutavit Facultatē, & eā
quā par est, humanitate abs ea petiit consueta exami-
na; cujus petitis omninō laudabilibus atque honestis
promptē annuit Facultas nostra. Admisimus igitur
illum, in ejus eruditionem & experientiam per fre-
quentem decennalem Praxin & stabilitam & auctam
inquisivimus, eumque deprehendimus talem, qui,
ut in Medicina summos honores jamdudum pro-
meruerat, eos jam solenni consueto ritu conse-
quatur; quemadmodum hinc per disputatio-
nem suam de cardialgiā inauguralem ad eos Licenti-
am lubentissimē dedimus. Quapropter cum die
x. Octobris a. c. modo nominatam dissertationem in-
auguralem eruditorum examini publico sit submissu-
rus. **MAGNIFICUM DN. RECTOREM**, Illustris
Regiminis, Academiae, & Civitatis Proceres, Univer-
sos & singulos Academiae Cives, nec non omnes Li-
teratos & Literarum Fautores, ut actum hunc
Illustrēm suā Præsentia Illustriorem reddere
velint, officiosē & peramanter
invito.

*P. P. Rostochii sub Sigillo Facultatis
Medicæ d. 22. Septemb. Anno
M. DCCXX.*

